



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 1. Solvuntur Object. ex Evang. Ioann. & Matth.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

ratione naturæ non habetur; & quia illud proxime refertur quod generat, essentia autem non generat.

Punctum Difficul-

tatis 3.

Solvuntur aliæ Objectiones.

OBJICIT 1. Blandrata, apud Penalzoa. Verus & unus Deus, est Pater Christi. Trinitas non est Pater Christi. Ergo Trinitas non est verus Deus.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam, quia est syllogismus ex Particularibus, ut supra explicatum est. Rectè etiam Penalzoa offert contrarium paralogismum, verus & unus in specie homo fuit Adamus, sed nos ejus filii non sumus Adamus, ergo non sumus homines.

OBJICIT 2. Aliqui Transylvani, Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt alius & alius & alius; sed Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. Ergo sunt alius, & alius, & alius Deus.

RESPONDETUR. Argumentum non esse categoricum, sed ut sit, poni debere hanc Majoram. Quod est alius & alius, & alius, est alius & alius, & alius Deus, in qua Majori est fallacia accidentis quia ex eo, quod convenient in Deitate, argumentatur etiam quod convenient etiam in alietate personali, in qua non sunt idem, & ab alietate in qua disconveniunt, ad Deitatem in qua conveniunt, competitque personis. Alius in ratione personæ, non in ratione naturæ.

OBJICIT 3. Alii apud Valen. lib. 1. de Trinitate cap. 27. præter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum nullus est Deus, sed neque Pater solus, nec Filius, nec Spiritus Sanctus sunt personæ; Ergo nullus est Deus, qui sit trinitas personarum.

RESPONDETUR. Hoc Argumentum non esse categoricum. Deinde distingui potest prima propositio, præter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum nullus est Deus exceptivè, hoc est his exceptis, nullus est de quo prædicatur hoc prædicatum Deus. Conc. præter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum nullus est Deus, ita ut collectivè hæc omnia in uno habeantur. Nego propositionem: Committiturque hic fallacia arguendo ex statu collectivo quæ talis statum non collectivum. Valentia rectè retorquet, præter hunc, & hunc, & hunc, &c. hominem, nullus est populus in mundo, sed neque hic homo solus, neque hic, neque hic, &c. est populus. Ergo nullus populus in mundo datur. Unde est hic fallacia accidentis, à negatione collectionis, quæ singulis serviat, procedens ad negationem collectionis, quæ simul omnibus conveniat.

OBJICIT 4. Si plures essent personæ Divi-

næ, essent plures habentes Deitatem, sed esse habentem Deitatem est esse Deum, & plures habentes Deitatem, est esse deos; Ergo existerent plures dii, quod ipsum illustratur: Quia ubi sunt plura habentia albedinem, sunt plura alba, & si eandem humanitatem tres personæ terminarent, essent plures homines: quod ipsum ulterius in hoc fundatur, quia ut significato alicujus nominis, numerale nomen addi possit, satis est, si rectum illius nominis, sit multiplex.

RESPONDETUR, quod quamvis esse habentem Deitatem, sit esse Deum; non tamen plures habentes Deitatem, est, esse plures deos. Ratio, quia usus communis hominum utentium ad placitum verbis, non multiplicat Deitates, nisi supponantur ipsæ Deitates in se multiplicari; nec usurpat terminum dii, nisi quando supponit ipsam naturam Divinam multiplicari. Quia autem quando dicitur de personis Divinis sunt plures habentes Deitatem, non supponit eandem multiplicari, sit ut non possint tunc dici tres vel plures dii; quod absurdum non sequitur, si habens Deitatem dicatur esse Deus.

OBJICIT 5. Posito Mysterio Trinitatis uni eidemque simplici entitati convenirent prædicata contradictoria; quod est absurdum, quia impossibile est idem esse & non esse.

RESPONDETUR. Recurrendo ad virtualem distinctionem, ejusque defensionem alias factam. Plures aliorum Responsiones adducit Perez cit. a. n. 13.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Objectiones ex Scriptura.

Non habentur quidem Objectiones, quæ directè pugnent contra Trinitatem, quæ Trinitas est; nisi fortè adducantur Auctoritates, quæ Dei unitatem probant; sunt tamen non paucae, quæ apparenter dicunt, quod uni Patri, competat Deitas; ex quibus inferitur non dari Trinitatem. *His ut satisfiat, sit*

Punctum Difficultatis 1.

tis 1.

Solvitur Objectio ex Evangelio S. Joannis 17. & Matth. 24.

OBJICIT 1. Crellius ex illo Joannis 17. v. 3. *Hæc est vita aeterna, ut cognoscant Te (Pater) solum verum Deum*, hic nemo dubitat, Dei veri nomine, Deum summum intelligi, quare cum Christus Patrem suum ita describat, ut eum solum verum Deum dicat, intelligitur solum Patrem Christi, esse solum Deum summum.

RESPONDETUR 1. Explicando Scripturam, quod ly solum, quamvis sit particula exclusiva, debet tamen sumi secundum accomodatam acceptionem, sic v. g. si quæretur: Estne solus pater familias in cubiculo, respon-

A 2

deatur-

deaturque solus, ly solus non excludit ab eodem cubiculo Deum, aërem, præsentiam domesticorum, sed solum excludit Hospites, & similia; secundum ergo accommodatam acceptionem nos dicimus, per ly solum, excludi illos Deos, qui sunt Idola, & non sunt veri dii; sed non excludi personam Filii & Spiritus Sancti, quam si dicat arguens excludi, hoc ipsum aliunde probari debet: Est Responsio Epiph. l. 1. c. 4. Athan. & aliorum. Inter quos Chrysost. Homil. 72. in Matth. Quamvis quando inscriptum sive veteri sive nova esse dicitur unum esse Deum & præter eum alium non esse, non ad distinctionem Filii sed exclusionem dictum sit idolorum.

INSTATI. Idem contra Resp. Ea est vis vocis solius, ut omnes alios excludat, à communione prædicati, præter eum, cui apponitur: is autem cui vocula solus, si sententia spectetur, apponitur est Pater; prædicatum autem est verus Deus: Ergo vox solus, à communione huius prædicati, omnes excludit, præter Patrem.

RESPONSUM jam est ly solus esse particulam exclusivam, sed secundum accommodatam acceptionem.

INSTAT 2. Vel ideò Gentium dii à vera Deitate, vi horum Christi verborum, excludi intelliguntur: quia censet eos à Patre quem solum verum Deum Christi appellat esse diversos, vel quia jam constat eos falsos deos esse; non posteriorem ob causam; nam alias à vera Deitate jam excludi censerentur, antequam horum Christi verborum vi excludi intelligerentur, nec opus foret ad eam rem verba ista adhibere; Si autem priorem ob causam, necesse est omnes quos à Patre Jesu Christi diversos esse constat, à vera supremaque Deitate excludi; nam alias argumentum quod ex his verbis duceretur ad Idola Gentium à vera Deitate excludenda, foret invalidum; tale enim esset si categoricè ponatur. Quidam à Patre Jesu Christi diversi, non sunt veri dii. Gentium dii sunt à Patre Jesu Christi diversi. Ergo Gentium dii non sunt veri dii. Major autem in prima figura, esset particularis, adeoque non concluderet.

RESPONDETUR. Disjunctivam illam falsam esse, eò quòd utrumque membrum illius, ut verum defendi possit. Inprimis, posterius membrum defendi potest, neque enim inania sunt verba Christi exclusiva falsorum deorum, quamvis supponerentur aliunde esse falsi dii, sicut ante promulgatā Legem verum erat dicere: quòd Deus sit Deus, & tamen dicit Deus; Ego sum qui sum. Ego sum Dominus Deus tuus &c. non per novitatem dicendi, sed per assumptionem ad intentum, alias noti. Immo si verum est, quod dicit Crellius, sequeretur nunquam esse debitam argumentationem à notioribus, quod falsum est, siquidem illa noscuntur evidenter, antequam proponantur. Primum etiam membrum, sic defendi potest, quod per particulam

solus excludantur non aliqui, sed omnes alii, secundum accommodatam acceptionem.

Quando autem dicit inferius per hanc responsionem peti principium, eò quòd assumatur non excludi per hoc alias personas, quæ unitatem habent essentiae; ad hoc dicimus, quòd nos stemus in principio, sed arguens incidit in hoc vitium, dum supponit extendi hoc ly solus, etiam ad exclusionem aliarum personarum.

Ut autem legitimum argumentum ex illis verbis confici possit, concedimus Majorem non debere esse particularem, sed posita hac universalis; Omnes à Patre Jesu Christi diversi, non sunt veri dii, nihil contra nos sequetur, duplici ex capite, inprimis quia Minor hæc, Filius & Spiritus Sanctus sunt à Patre diversi, falsa est; nam ly diversi supponit pro alietate essentiae. Quæ responsio fundatur in notitia sensus horum verborum diversitas, differentia, distinctio, ad quod etiam advertit Aristot. 10. Metaph. cap. 5. t. 10. 11. 12. legatur Ruiz d. 39. à sect. 9. Ex alio capite non concludit hoc argumentum, quia ly diversi cum sit terminus respectivus, id quo est diversus, respiciet naturam, essentiam, Deitatem, & sic verificata adhuc Majori, Minor erit falsa, falsum enim est Filium & Spiritum Sanctum esse diversos Deitate.

Addo. De his terminis est controversia: An Pater, Filius, & Spiritus S. sint idem in natura, distincti realiter in personis. Ad quos terminos controversiæ attendendo ex verbis Sancti Joannis hoc contra Idola formabitur argumentum; Hæc distinctus à Patre Jesu Christi natura, & persona, est verus Deus. Hæc est enim vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum non natura, sed persona à Patre distinctum. Omnes dii gentium sunt ita distincti. Ergo nulli dii Gentium sunt verus Deus.

INSTAT 3. Quantumvis concedatur, Christum prædicta verba protulisse occasione excludendi à Deitate idola gentium, non sequitur, hæc verba non excludere à Deitate Petrum & Paulum; Ergo etiam extendi poterunt ad negandam Deitatem Filio, & Spiritui Sancto.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam, quia nullum fundamentum est excludendi à Deitate Filium & Spiritum Sanctum; est autem fundamentum positivum, quo probari possit & supponi Petrum & Paulum esse creaturas.

INSTAT 4. Idem. Prædictis verbis excludi non minus eos à vera Deitate, qui essent naturæ diversæ, sed & qui personæ essent à Patre aliæ; populari etiam genere loquendi utitur Christus, & Discipulorum suorum captivi sese accommodat: jam vero populo, immo & universis, solus Pater, non minus solā Patris personam denotat, quàm substantiam, imò vulgus cum perso-

personam Divinam cogitat, etiam substantiam diversam cogitat.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, cuius probatio contradicit Evangelio; cum sæpe Christus difficilia locutus sit, & quæ erant abscondita ab oculis Apostolorum; quamvis autem etiam nunc vulgus cum subtilitate noscendi non attingat alietatem personæ ab essentia; in simplicitate tamen discernit, cum dicit esse tres personas, unum Deum.

INSTAT 5. Si nemo vi horum Christi verborum à vera illa Deitate excluditur, etiam si à Patre, persona manifesta differat; nisi præterea constet eum essentia ab eo diversum esse, sequetur eum his verbis refutari non posse, qui dixerit Jovem v. g. vel Neptunum veros esse deos; personis quidem à Patre distinctos, sed ejusdem tamen cum illo essentia.

RESPONDETUR. His verbis refutandum esse, quia Jupiter non est hic Pater de quo Christus neque est genitus ab hoc Patre ut supponitur, hinc vi horum verborum refutabitur. Rursum posita hac propositione, Pater est solus unus Deus, subsumi potest, sed Jupiter nec secundum personam, nec secundum naturam habet identitatem cum Patre; Ergo non est solus ille verus Deus. Denique quamvis ex hoc loco id probari non posset, sufficit quòd aliunde probetur. Adde probabilem esse responsionem Petavii, quòd hoc loco non utatur Christus argumentatione ad alios deos excludendos, sed Christum eum hoc, ut dicat sempiternam vitam positam esse in notitia solius veræ Deitatis, quæ est in Patre.

RESPONDETUR 2. Ad eundem locum Scripturæ, quòd scilicet, ly solus, non sit construendum cum Patre, sed cum ly Deus: ex modo autem constructionis evanescit intentum oppositorum; quia ly solus constructum cum ly Pater excludit alium à Deitate; ly autem solus, constructum cum ly Deus, excludit omnes, qui non sunt Deus. Illustrari potest hoc tali exemplo, Petrus est animal, quòd solum est rationale, solus Petrus est animal, quòd est rationale, prima illa propositio non excludit Paulum, quòd minus sit rationalis; secunda excludit: ita si ly solus construatur cum ly Pater excludit Filium à Deitate, secus si construatur cum ly Deus, ita construunt August. Tract. 105. Ambr. l. 5. de Fide c. 1. Nazian. Oratione 63. Socinus epist. 2. ad Marth. Radecium, qui fuit unus ex Crellii Magistris. Græcus etiam textus construit cum ly Deus, ita enim habet τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν.

INSTAT 1. Crellius contra Responsionem ly solus quoties adhibetur ad alia subiecta à conjunctione prædicati excludenda, subiecto non prædicato adjicitur; hoc autem loco vocem solus ad alia subiecta, nempe Idola, à conjunctione prædicati, quòd est verus Deus, excludenda, adhiberi contendimus.

RESPONDETUR. Falsum esse quòd semper

subiecto & non prædicato addi debeat ly solus, ut excludantur alia subiecta: quid enim ad hanc collocationem necessariò urget. Deinde vi hujus secundæ responsionis non sumus solliciti, an excludantur Idola à vera Deitate.

INSTAT 2. Si principia ejusdem Crellii teneantur, facilè ex dictis Christi, inferri Idola, non esse veros deos, non sunt enim Pater Christi, quòd non infertur ex nostris principiis; quia nec infertur, Filium non esse Deum.

RESPONDETUR. Quòd non sit articulus fidei apud nos, quòd hic sit Christi argumentatio contra Idola. Deinde similem difficultatem habiturus est Crellius, si quis Jovem dicat Patrem Domini nostri, nec inde inferri poterit illum, non esse Deum. Denique posset adhuc ex hoc loco contra Idola argui, quia non habent identitatem cum Patre, nec ratione naturæ, nec ratione personæ.

INSTAT 1 potest 3. ex eodem. Quamvis ly solus, construatur cum ly Deus, non cum ly Pater; id tamen perinde est ac si dicatur, solus Pater est verus Deus: quòd ipsum probatur, quia idem redditur sensus, si dicant: solus Christus est ex Virgine natus, si dicant: solus ex Virgine Christus est natus.

RESPONDETUR. Diversitatem harum propositionum jam supra ostensam. Negatur etiam paritas, quia secundum circumstantias, nullus subest ambiguitati locus, quòd & solus Christus, & solus ex Virgine natus sit, hinc usus parum curat constructionem illius propositionis, & ex diversitate collocationis solus, non metitur diversitatem sensus; sed quia quæstio ex una parte est, an alia personæ sint Deus? & ex alia parte, diversa collocatio, ly solus, in rigore, potest diversitatem sensus parere, non immerito ad hanc constructionem attenditur, idque ex fundamentis allatis. Quando autem diversitatem sensuum à nobis allatam, quam facit diversa constructio, vult sibi probari vel ex Scriptura, vel profano aliquo exemplo, actum agit, cum diversitas hæc ipsi utpote viro Latine scribenti, nota sit, nec est necesse in scribendo, semper ordinem Grammaticum servare.

RESPONDETUR 3. ad eandem Objectionem. Hunc ipsum locum æqualiter probare Christi Divinitatem, nam ibidem additur, & quem misisti Jesum Christum, unde ex hoc loco sic arguitur. De quo dicitur, quòd Pater & simul ab illo missus, sit verus Deus, ille est verus Deus; sed de Patre & de misso ab illo dicitur, quòd sit verus Deus, ut textus loquitur: Ergo & Pater, & missus est verus Deus.

INSTAT 1. Crellius contra Responsionem, cum vox solus ad plura subiecta refertur, vel omnib⁹ postponi solet, vel omnib⁹ præponi solet.

RESPONDETUR. Quamvis ly solus non jungatur cum ly Pater, eique postponatur; sufficit quòd ponatur ante ly Deus, apponaturque particula,

cula, Et, id enim non variat sensum: & ita eadem erit propositio, siue dicas, Solus ego cum meo amico N. utar hoc bono, siue dicas solus ego utar hoc bono & meus amicus: hinc & in presenti simile quid verificabitur. Nec Græca locutio obstat ut ostendit Maldonatus.

INSTAT 2. Saltem sequi ex hoc loco, quod Spiritus Sanctus non sit Deus.

RESPONDETUR. Exinde directe & clare non colligi illum esse Deum; deduci tamen legitime, quia cum aliunde constet originari illum per modum unius ab utraque persona, si utraque originativa persona est Deus, deducetur etiam illum esse Deum; quia illa origine debet illi communicari, natura Divina. Si autem quispam priores duas responsiones teneret, hac instantia non premeretur. Quia verò non additur illo loco, quòd in hoc solo stet vita æterna, quod est noscere Patrem & missum ab illo, datur adhuc locus, ut requirantur & alia credenda, itemque opera bona.

INSTAT 3. Quia nec Christus nec Apostoli inculcarunt, quòd unà cum Patre, sit ille solus verus Deus, sed solum appellabant illum Christum, aut Dei filium, & si hic fuisset sensus Christi, qualem posuit tertia responsio, dixisset phrasin suam scriptura ut cognoscant, quòd vel quia tu es solus verus Deus, sicut aliàs dicit, quia tu es Christus Filius Dei: item cognoverunt Principes, quia hic est Christus.

RESPONDETUR. Retinendo tertiam explicationem dici potest sufficienter hoc loco id inculcari, quòd Patrem & illum, noscere verum solum Deum, sit vita æterna. Negamus etiam Christum & Apostolos non inculcasse Divinitatem Filii Dei. Quando autem præscribit phrasin Crellius, quæ Evangelista describere debuisset, hic & nunc Divinitatem Filii Dei, arbitrariè id facit; & sicut liberum est Scripturæ nunc activà, nunc passiva uti constructione, item liberum fuit nunc Nominativo *Tu es*, nunc obliquo (*Te*) uti casu.

OBJICIT 2. Ex illo Matt. 24. v. 36. ubi Christus dicit se non nosse diem iudicii.

RESPONDETUR. Dixisse hoc Christum secundum naturam humanam: quod ipsum subdistinguitur, scilicet dixisse illa secundum quod est Legatus secreti iure ligatus, cuius distinctionis scholastica explicatio adfertur in Materia de Fide, an scilicet Deus amphibologicè loqui possit?

Punctum Difficultatis 2.

tis 2.

Solvuntur Objectiones ex S. Paulo.

OBJICIT 1. Ex I. ad Cor. 8. v. 5. 6. *Nam etsi sunt qui vocantur Dii, &c. nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus*

Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum. Ubi Paulus explicans quis sit ille unus Deus, simpliciter dicit esse Patrem, non Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.

RESPONDETUR 1. Explicando locum S. Pauli, quòd scilicet dicat non per exclusionem Filii à verà Divinitate, sed excludendo non nisi multitudinem Deorum: hoc enim erat intentum Apostoli, ut textus ostendit: & quòd non excluderet Filium indicat ipse ille titulus *Dominus*; & sicut per titulum *Dominus* applicatum Christo non excluditur Pater, quo minus sit Dominus, ita nec excluditur Filius, quamvis ly Deus, sit applicatum Patri: sic docuit Irenæus l. 3. c. 6. Chrysost. Hom. 5. de incomprehensibili, &c.

INSTAT 1. Contra Responsionem Crellius, præter similia, quæ supra attulit, quibus jam responsum est; quòd scilicet Apostolus explicare hic voluerit, quis sit ille unus Deus; rectenè verò is rem explicat, qui non modò tantumdem, sed etiam plus omittit, quòd ad rem explicandam attinet, quam exprimit? & si nos Catholici explicantes quis sit ille unus Deus, nominamus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, etiam Paulus Christum nominare debuisset; præcipuè ne per hoc convincatur Apostolus, occasionem præbere statuendi, quòd Deus sit unus essentia & persona.

RESPONDETUR. Primarium intentum fuisse Apostoli, ut videre est in contextu, distinguere Ethnicos à Christianis, per unum Deum in essentia; sed non fuit intentum, essentia terminationes seu personalitates explicare: hinc non debuit numerare personas. Nunc autem in presenti Ecclesiæ statu, cum non agamus contra Ethnicos, sed non nisi contra paucos Adversarios, nominando unitatem essentia, etiam personas explicamus.

Deinde æquivalenter dicit Apostolus Christum Deum, appellando illum Dominum, quòd nomen nihilo inferius est, quàm nomen Dei ex usu Scripturarum, ut probat illud psalmi: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram*, advertitque Græcè & Hebraicè doctus Petavius lib. 3. c. 1. Nomen Tetragrammaton reddi *kyrie*, quòd Dominum significat, consequenter nec dedit ansam opinioni Adversariorum; & si quæ sit loci perplexitas, ea superatur Doctorum explicationi inhaerendo. Sequuntur hic illi expositorii de quibus supra.

INSTAT 2. Per hoc solum, quòd additur Christo & unus Dominus manifestè distinguitur ab illo uno Deo: quia ille unus Dominus vel idem est cum illo uno Deo, vel aliqua ratione est Deo inferior: idem non est, aliàs nulla distinctionis foret ratio, nec ulla esset causa cur unus ille Deus Pater, unus verò ille Dominus Christus diceretur? Ergo restat ut significet Deum, qui Deo uno, est aliqua ratione inferior.

RESPON-